16

17

ΤΑΜΗΑΙΑ

Nuptijs

Clarißimi & Doctiß. Viri

DN.

M. FRIDERICI MÖLLERI

Scholæ Svidnicienſis Conrectoris digniſsimi,

SPONSI;

&

Nobilißimæ ac Pudiciß. Virginis

HEDWIGIS

VIRI

Magnifici, nobiliſsimi & ampliſsimi

DN.

ACHATII à FORCHTNAW,

Tabularij publici, Regiorumq; judiciorum in utroq; ducatu Svidnicienſi & lauravienſi Actuarij fideliſsimi filiæ,

SPONSAE,

SVIDNICII SiL. celebrandis d. VI Eid. Maij Stil. Greg.

Anno æræ Chriſtianæ

CIↃ IↃ CIIII.

Nuncupata ab AMICIS

&

exſcripta

FRANCOFVRTI

Typis

NICOLAI VOLTZII.

462811

52-2002
838/17
[250,-]
10.10.2002

St 1744

Φαιδρὴ πᾶσα δόσις δίδοται τῇ ἀτέρμονι ἔκηλε
Οὐρανόθεν Φοίβειῃ αὐτοφύτῳ θεῷ.
Φαιδρὸν ἔχεις, ἠΰ πολυφίλτατε, δῶρον ἐπαυρεῖν
Μέχρις ἔχων ἔσπελες παρθενικῆς φιλικῆς.
Τοὔνεκεν ἀγχίνοος μετὰ τοῖς φρεσὶ θυμὸς ἰάνθη
Καὶ θεῷ ὑψίσῳ ἤθελεν ἦρα φέρειν.
Ὦ θεὸς ὑμεδών, εἰς ὃ τρισσοῖς φαέεσσιν
Ἀθράπτων πάντων ῥίζα κραδὴ ὁμῶς
Ἴλαθι, εὐχωλῶν μὲ κέκλυθι, ἠδὲ χάρισμα
Σῷ χάριτι δίδοναι τ' ὡς νεόνυμφοι ἔχειν
Ἡδὺ ὁμοφροσύνης αὐτοῖσιν ὄπαζε τὸ ἔργον
Ὡς ἐσορᾷν χρονίως ἠελίοιο φάος.

Sebastianus Mollerus, Medicinæ Doctor & Professor, in illustri Academiâ Francofurtanâ, filio carissimo.

ALIUD.

FOrtiùs imprimitur telum propiore rotatû,
Quam quod longinquâ frangitur antè viâ.
Languidior flamma est, lato quæ corpore lucet,
Fortiùs unito pressa vapore calet.
Sic multis animi verbis diffunditur ardor,
Qui breviter loquitur, fortia verba jacit.
Pauca fero, sed vera tuis, Sponse optime, tædis
Vota: MALUM FUGIAS, INVENIAS{que} BONUM.

Matthias Polenius Sil. U. I. D.

ALIUD.

COElitus ostensam tibi vir doctissime Sponsam,
Amabilem puellulam,
Corporis ac animi nimirùm dotibus auctam,
In conjugem nunc accipe;
Accipe laudato ritu; fac cuncta, maritus
Præstare quæ solet pius.
Sic tibi conjugium felix erit; omnia Nuptæ,
Tibiq; cedent prosperi.
Quod precor, ut fiat, sincero corde; Supremus
Exaudiat preces meas.

Iohannes Schosserus
Professor Rhetorices.

ALIUD.

QVeis MOLLERE novis tempora floribo
Subdis vere novo? Non ego myrteâ
Quondam fronde comas cingere Apollinis
Me jussu memini; cum te equus aliger
Parnassi nitidis intulit arcibus
Victorem Aönium: serta ego laurea
Cum Nymphis celeres Aöniis choros
Ducenti imposui: nunc Paphiæ rosas,
Belli credo novi insignia, gestitas.

Expugnata

Expugnata jacet ſcilicet Hedones
Obſcæna rabies: victor es improbæ
Flammæ: hinc caſta Venus ſumma, favens tibi,
Laxo prompta ſinu præmia contulit
HEDWIGEM, facie & ſtemmate virginē
Præſtantem, ac nitidis moribus inclytam:
Cum qua pacificè attingere præpetis
Calcem ævi ut valeas cœlitus imprecor
FRIDRICE, & ſobolem cernere plurimā.

M. Caleb Trygophorus
Profeſſor Logicus.

ALIUD.

A Pueris ſtudium Sophiæ vitamq; dicaſti,
Clare vir, & lucrum ſuppetit inde tibi.
Liba paras Veneri, paterisq; Cupidinis arcus,
Quos prece, conſilio, ſat ratione demas.
Dat DEus ad votum (nec enim hoſce beare repugnat)
En ſociam facie, quæ pietate micat.
Cum qua ſi Pallas, Charitum aut certare corona
Audeat, & Charitum gratia quanta cadet.
Non numero dotem, præclaram & nobilitatem:
Amplexu Virtus has generoſa vehit.
Tâm ſolet afficere egregio ſapientia lucro,
Qui affixi ſtudiis invigilâre ſuis.

Comprecor, ut quando blandè palpaberis illi,
Vagiat in vestra turba pusilla domo.

M. Vrbanus Sobolus
Scholæ Francofurtanæ
Rector.

ALIUD.

EN vix rupisti casses, MOLLERE, parator
Hèic ubi vitiferos Odera lambit agros:
Hèic ubi Castalidum doctas sibi Numina sedes
Legerunt, doctis Numina amata Viris!
Hèic ubi tot Iuvenum finguntur pectora & ora,
Vt leve centum ORPHEI sit reperire pares;
Qui magis apta thoro geniali dicere tentent
Me, cui Melpomene sæpè vocata negat.
Sed! vix, quæ collo fuerat minitata capistrum,
Vitasti, excusso collo animoq; jugo.
Sed! vix ardorem nimiùm ardescentis Amoris
Sopisti à patriâ dum peregrè esse placet.
Atq; id bellè equidem svasu Nasonis; amorem
Qui putat, ex oculis si iverit, ire animo.
Ast ego te cœli, haud animi mutasse calorem
Sentio, nî flabro dispare quod vigeat:
Suppositos cineri fallaci suscitat ignes
Flabrum namq; novum; nobile namq; labrum
FORCHTNÔÆ t'eneris figendo basia mille,
Basia multiplicis mille ferendo notæ;
In cuius casses ipsus sponte irruis ipse,
Sponte tuâ subdens collum animumq; jugo.
Idq; adeò subitò! vix ut satis agnitus isti,
Aut nostr' oblitus vix videare satis:
Atq; id bellè iterùm jussu imperitantis Amoris,
Cujus tela sedent pectore fixa tuo.

Pectore

Pectore fixa tuo sedeant FRIEDERICE! tuoq;
O FORCHTNÔA Venus, jam nova facta Venus:
Quod subitò, atq; adeò subitò penetraris in ipsas
MOLLERI fibras, ipsa animiq; adyta.
Sed quid ego tandem? Vos pectora amica monebo?
Arrige, Sponse, aures! porrige, Sponsa, potes?
Labra labris læti miscentes, oribus ora,
Corpora corporibus, pectora pectoribus,
Miscentes animamq; animæ sic vivite læti,
Unica ut è gemino Pectore Vita fluat.
Plura vetor; nec plura precor; tu Sponse tibiipsi
Plura precare, potes si modo plura tibi.

M. Christianus Acidalius
VVistoch. March.

ALIVD.

AD tua quòd thalami, Vir sollertissime, nostrûm
Me memori comitem gaudia mente vocas:
Lator ego, firmoq; diù mihi pectore grator,
Hunc cupidâ niveum fronte notare diem.
Quo tu posthabitis, schola quas parit anxia, curis
Aureolo tædas victus amore paras.
Sed veniant opto, quò non veniemus, Amici:
Et peragant placidi mellea festa tori.
Scilicet officium (nosti) promptissima lætis
Pectora deliciis, nos retrahitq; via.
Quin nec te variâ suspensum voce morabor,
Sed quùm Clio neget plurima, pauca legas:
Gaudia prosper ini. DEVS est, qui tanta rogatus
Omnia dispensat, gaudia prosper ini.

M. Ioannes Scarlachius
Gardlegâ-Marchicus.

ALIVD.

ALIUD.

TAndem dum thalamum subis jugalem
MOLLERE Aonidum corona turbæ,
En mox flore novo tibi decoram,
Quàm Phœbus dedit ante, dat coronam
Hymen, temporibus tuisq; ponit.
Sis felix igitur, nitente gaudens,
Phœbus quam Clarius dedit, coronâ:
Sis felix etiam, virente gaudens,
Hymen quam citiùs dedit, coronâ:
Sis felix, lepidâ tuâq; Sponsâ,
Quam junxit Cytherea bella, gaude:
Gaudens & teneras amare Musas
Gnavus nitere, tertiam & coronam
Athleta ut validus feres triumpho
MOLLERE Aonidum corona turbæ.

M. Martinus Henceius
Francof.

Ἐπομνημερόστιχον.

QVInta bIs ILLVCet MaII LVX: sacra parantVr:
FIt Consors soCII SponsVs VterqVe torI.

Petrus Fischerus Svidnic.
Silesius.

FINIS.

BIBLIOTEKA UNIWERSYTECKA